



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Seculum IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas Collegio Soc. JESU Moguntia inter reliquias sacras servandum donavit, Hildesia translatum an. 1603.

III. RICHOLPHVS.

Richolphi post D. Bonifacium Moguntia Archipræsulis secundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent tamen gesta & fata ultima. Regi & demum Imperatori Carolo M. à consiliis constanter, id bene meritis suis impetravit haud difficulter, ut Cæsaris interventu Pontifici placuerit Archiepiscopus, cuius difficile munus ea methodo obist, ut à quo reprehensus sit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo labore reperias. Ad amissim verò ut fierent omnia à subjectis Richolpho Episcopis & Sacerdotibus, nec deesse passus est monita, nec præcepta Ecclesie Romanæ autoritate præmunita: unde ex Hispania Moguntiam usque transferri curavit Canones Pontificios Isidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magis verò constaret omnibus ritè de Ecclesie legibus, an. 813. Moguntia Synodum celebravit, & alteri Synodo Wormatia celebratæ interfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Justinæ sacras reliquias populo visendas & honorandas proposuit, simulque D. Albani honoribus dicatum templum magnificentissimè extruxit: dein verò quocum consilia vivus conferebat, cum eodem Imperatore mortis sententiam sustinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus post annos Sed. 17.

SECULUM IX.

IV. AISTVLPHVS.

Aistulphus B. Lulli discipulus, in qualem quantumque deniq; Magistrum evaserit, multorum loco sit testis Rabanus, fortè etiam Aistulphi discipulus doctissimus, & in Sede Moguntina

guntina successor dignissimus, qui librum de Institutione Clericorum præter libros alios plurimos, scitissimè conscriptum, cum Aistulphi consecraret honoribus, hæc libro præfigere verba non dubitavit, instar prototypi posteris relicta: *Te, Sancte Pater, pro merito summe pietatis plurimi venerantur, & omnibus fidelibus, causa magne fidei & sanæ doctrine, honorabilis atque amabilis existis. Te benignissimum atque æquissimum esse scio. &c.* his addidit epitaphium hoc maximè modo scriptum:

Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulchro,
Pontificale sacrum qui bene gessit onus.
Bis senis urbem hanc Pastor qui rexerat annis,
Dogma & Apostolicum protulit ore sacro.
Justitiæ Custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis & pietate placens.
Lulli discipulus, Successor ritè Richolphi,
Ambobus meritis, non minor iste fuit.
Quis te sancte Pater cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat.

Sedit an. 12. sub Stephano V. & Paschali I. Pont. an. 826. mort.

V. OTGARIUS.

OTgarius, aliis Odogarius appellatus, Wione teste nobili loco in Germania natus, & D. Benedicti Regulâ instructus, Principi Monasterio Campidunensi Antistes præfuit omnium primus, haud dubiè D. Hildegardi Augustæ gratissimus. His tamen dictis multùm refragantur Serarius, Bruschius & authores alij, Otgarium hunc nostrum à priori fuisse loco & tempore diversum longè, testati. Archipræsul verò hic noster eorundem authorum testimonio D. Ansgarium unà cum aliis inunxit Episcopum. Danorum Regi Haraldo affudit salutare Baptismatis undas, & Ludovico Pio Cæsari animam agenti adstitit. Obortis dein inter Ludovici filios litibus denuo & bellis gravissimis, nolens volens in Lotharij denique partes consensit, nec seriò refragatus Ludovico

dovico, nec Carolo: unde effatum poeticum à Nidhardo Angelberto relictum ita habet:

Scilicet arma minùs, quàm Sacra Otgarie noras.

Concilium an. 834. præsentibus Archiepiscopis Trevirensi & Coloniensi unà cum Suffraganeis celebravit. In Italiam annis Archiepiscopatus sui ultimis, ut lites regias Pontificis autoritate juvaret componere, profectus, D. Severi reliquias Ticinò in Germaniam secum retulit, postquam Moguntiam illustravit annis 22. sub Pontificibus Paschale I. Eugenio II. Valentino & Gregorio IV. quin & Sergio II. an. 847. vità defunctus.

VI. RABANVS.

Rabanus Magnentius Maurus Fuldæ in Hassia natus, educatus, optimis moribus & literis in monasterio antiquissimo juxtà ac celeberrimo imbutus, ibidémque supremus artium ac scientiarum Magister, Rector & demum etiam Princeps Abbas jure optimo electus, ornamentum suo præsertim seculo fuit Ecclesiæ & Imperij maximum. Nemo nimirum Imperatori Ludovico Pio & hujus filiis pretiosior erat Rabano, qui ea moderatione animi inter publica dissidia se noverat gerere, ut tametsi literis solaretur Augustum parentem variis, Augusti tamen filij suas partes offendi haud fuerint conquesti, non minùs epistolis & foliis palàm in lucem editis instructi & animati, ut genitori cederent filij, & Imperatori promptam exhiberent obedientiam subditi universi. Annis & meritis jam gravi, communi omnium Canonicorum & populi applausu oblatum est pedum Moguntinum, ea nimirum Præfulis ætate, qua baculo senectus ipsius opus habebat & Republica novo Scipione. Ut verò solitudinis amantissimus Antistes tantum onus in se susciperet, necesse fuit, ut Pontifex, Imperator & vox populi id ipsum consiliis suaderent, & precibus urgerent. Tot igitur vocatus suffragiis venit, & 9. annorum compendio plu-

ra egit, quàm agere solent multi alij plurimorum annorum longè spatio: habito namque Moguntia Concilio Godeschalcum condemnavit cum sectatoribus, simulque Moguntinam cum Ecclesiis præsertim Germanis omnibus doctrinâ & morum emendatione illustravit, haud ipse gravatus senex ad concionem dicere, in urbes, oppida & villas Apostoli instar excurrere, atque in subjectorum sibi antistitum simulque parochorum vitam sedulò inquirere: quæ omnia eò magis sunt admiranda, quòd simul ingentem librorum copiam ingenij sui partum fœcundissimi posteritati potuerit relinquere; quæ aliâq; multa cum partim à Wione & Trithemio, partim à C. Bellarmino, Sigeberto, Brovero aliisque multis authoribus copiosè fuerint descripta, ego pluribus hîc referre nolui. Brevitatis causâ id solùm silentio haud prætereundum duxi: grassante pestilentia & famis publicæ malo Rabanus diebus singulis pro tribus pauperum millibus alimenta subministravit, non annumeratis iis mendicabilis, quæ domi alere non est gravatus, jure *pauperum Pater* dictus. Multis vixisse annis ex eo colliget Lector, quòd an. 810. jam Rector Fuldæ promulgatus, an 822. Abbas electus, & demum Archiepiscopus creatus sit, mortuis annumeratus an. 859.

VII. CAROLVS.

Absit procul à nobis, ut vitam damnemus Monasticam, quam aulis regiis præhabuerunt Imperatores & Reges, & Regum filij, terrestres Dij. Carolus Pipini Aquitania Regis filius, Ludovici Pij Imperatoris nepos, relicta aulæ deliciis, Corbejense monasterium ad Visurgim situm petiit, in quo tantùm profecit, ut virtutibus longè excellentior, quàm genere clarior, promeritus sit inter Archiepiscopos Ecclesiæ Germanicæ primus honorari & celebrari. Hoc in celsissimo munere quanti æstimare perrexerit Monachorum Regulam, ex eo collegere etiam gnavi rerum observatores, quòd Caroli Archipræsulis hortatu aut consilio persuasus Imperator

perator Lotharius, Imperij fasces reliquerit, Augusto pede Prumiense cœnobium ingressus, dato posteris documento, satius esse obedire, quàm imperare. Hujus Archipræsulis laudes eximias commendârunt etiam epistolæ non pauca Pontificiæ, quibus Pontifex D. Nicolaus cognomento Magnus eundem animavit, ut Ecclesiæ & Imperio pro viribus prodesse pergeret; quò minùs tamen pergere potuerit, impedît mors coronis & mitris major post annum Sed. 7. *Leg. Gratianum, VVionem, Cochlaum, Serar.*

VIII. LINDBERTVS.

Lindbertus à variis authoribus vario scriptus nomine, id ab universis & singulis obtinuit encomium singulare, ut à nemine reprehensus, ab omnibus laudatus fuerit multis modis. Et sanè difficillimum fuit laudem mereri hominum ferè omnium eo tempore, quo in partes divisi nepotes Ludovici Imperatoris inter sese pugnârunt, & Lotharius Austrasiæ Rex repudiata conjugè Theutberta, Walradam obmururante Germaniâ ferè universâ, Italiâ & Galliâ, thalami consortem deperibat. In multiplici eoque difficili rerum articulo opus fuit Lindberti arte & consilio, melle & felle, vino & absinthio, ac tandem gladio & fulmine, ut Supremi Pontificis sententiâ refecarentur ab Ecclesiæ corpore membra pertinaci lue infecta Rex Lotharius & adultores duo etiam Archiepiscopi cum appendice, ut fit, longissima. Hinc coactum est Concilium Sueffionense, in quo Lindbertus contra Regem, Trevirenses simul & Colonienses Archiepiscopum dixit mentem suam, ac demum Pontificis nomine anathemate armatam sententiam, in utriusque sedem vocatis Archiepiscopis novis. Virtutem constantiæ tum maximi fieri meritò, nôrunt universi, cùm instar auri igne, hoc est difficultatibus examinantur maximis. Ita profectò Archipræsulis Moguntini opera instar probati auri examinârunt & laudârunt tempora difficillima, nec latum

guem à suo proposito hunc Archipræsulem dimoventia. Argumento probatissimæ virtutis erat etiam Carolus Crassus postea Imperator, cum juvenis adhuc à dæmone arreptus tristissimum in modum est divexatus, nec alio adversus orci mala adhibito remedio, quàm solius Lindberti precibus liberatus. Idem Carolus successu temporis ob varia rerum capita, communi totius Imperij calculo exauthoratus, inter homines ferè neminem, nisi solum Lindbertum habuit solatorem reliquum, qui plenus meritis an. 889. diem obiit suum publica populi voce inter Beatos jam tum relatus. Sedit Moguntiaë annis 26. sub Pontificibus sex, nimirum Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. Mariano I. Hadriano III. & Stephano VI. *Vide Reginonem, Annales Pitheanos, &c.*

IX. SVNDEROLDVS.

Sunderoldus ex Principe Monasterio Fuldensi in Moguntiaë Ecclesiam evocatus, trium annorum compendio absolvit partem vitæ reliquam: Normannis enim barbaris in Germaniam irrumpentibus, & ad Mosam fluvium maximè clades inferentibus, cecidit inter Christianos Duces Dux ipse & gregarius miles Archiepiscopus, qui accensus zelo Apostolico pro re Orthodoxa pugnavit, more Martyrum occisus ab hostibus Christo infensissimis: Unde inter Martyres Archipræsulem hunc à literis & virtutibus laudatissimum apertè numerârunt *Sigbertus & Trithemius.*

X. HATTO I.

Hatto aliis otto dictus, obscuro genere (*an in Suevia, an alibi incertum*) natus, naturæ tamen dotibus clarissimis instructus, in *Augia divite & Monasterio elvacensi Præsul,* multis præclaris inclaruit facinoribus, reprehensus ob id demum maximè, quòd claram nominis sui suorùmque famam solis aut syderis instar ful-

gens

gentem iniquissimo facinore veluti densissima nube aut eclipfi ob-
 scuraverit. Rei seriem pictores depinxerunt & authores descri-
 pserunt *Marianus Scotus, Lambertus & Otto Frisingensis*, cujus ultimi verba re-
 ferre lubet, ne quid demptum, aut additum videatur à novo cala-
 mo. Circa annum 907. *Albertus nobilissimus Francorum Comes, Ottonis Saxonum Du-*
cis ex filia nepos Conradum, qui à quibusdam Ludovici Regis frater fuisse creditur, occidit.
Ob ea Rex prædictum Heroa in castro Babenberg, ubi nunc nobilis Episcopatus cernitur fun-
datus bello petiit. Cùmque viribus se proficere posse non videret, Hattonis Moguntina
archiepiscopi consilio ad dolum se contulit. Itaque ut non solum in Regum gestis inveni-
tur, sed etiam in vulgari traditione in compitis & curiis hæctenus auditur, præfatus Hatto
Albertum in castro suo Babenberg adiit, eumque Dei pietatis obtentu, de gratia Regis adi-
piscenda convenit. Ille deo te monitis ejus obtemperans, humiliter conductum de personæ
proprie incolunitate petiit. At ne multis morer, interposita Sacerdotis præfati fide iter
carpunt. Vix castro exierant, jam proximè vico, qui Theurstatt dicitur, appropinquabant,
& Episcopus, grave, inquit, erit nobis Jejunium sustinere: si placet, antequam Regi præ-
sentemur, ad prandium divertamus. Tum ille, simplices aures more antiquorum habens,
dolumque minime præsentens, gratanter eum ad prandendum in castro, unde digressi fue-
rant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam veniunt: in causa princeps ponitur,
ac tanquam reus Majestatis, capite plectendus adjudicatur. Monet ille Episcopum de fide
data; quam è contra ille se bene in hoc, quod sanum & incolumem eum in castrum redu-
xerit, servasse respondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur possessionesque ejus, è qui-
bis postmodum Babenbergensis Ecclesia locupletata dicitur, in fiscum redactæ sunt. Ju-
dicent de hoc sacerdotis factò alij (nimirum excusant varij variè) quod velint, & tan-
quam pro regni utilitate commissum tueantur: ego omnino nullius emolumentum gratiâ non
solum quemlibet Christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde in causa capitali lo-
qui non debuisse arbitror Episcopum. De mortis genere post varias om-
nino Historicorum relationes hodie non satis constat: sunt enim
qui fulmine percussum, alij in prælio cæsum, alij demum mœrore
confectum dicunt. Annis 21. veriùs instar militis egisse, quàm
Episcoporum more vixisse dicunt, dum federunt Pontifices For-
mosus, Stephanus XII. Romanus, Theodorus II. Joannes IX. Be-
neditus IV. Leo V. & Sergius III.